







DIGNITATEM  
DOCTORIS SACRARVM SCRIPTVRARVM  
A  
COLLEGIO THEOLOGORVM  
HALENSIVM

IN  
VIRVM MAXIME REVERENDVM  
EXCELLENTISSIMVM ATQVE CLARISSIMVM  
IO. GOTTLIEB TOELLNERVM

IN ACADEMIA VIADRINA  
PHILOSOPHIAE PROFESSOREM PVBLICVM ORDINARIVM  
ET THEOLOGIAE EXTRAORDINARIVM

NVPER LEGITIME COLLATAM

PVBLICE DECLARAT  
D. IO. AVGVSTVS NOESSELT

THEOLOGIAE PROFESSOR ORDINARIVS  
ET FACVLTATIS THEOLOGICAE H. T. EXDECANVS.

---

*Praemissae sunt quaedam observationes de diuersitate studiorum, quibus  
Theologum decet ceteris Ecclesiae doctoribus praestare.*

---

HALAE MAGDEBVRGICAE STANNO HENDELIO.









Quonam Theologiae fatio fieri dicam, ut, cum nostrae aetatis homines in disciplinis fere omnibus, ipsisque in artibus ad necessitatem vitae commoditatemque pertinentibus, expoliendis atque perficiendis maxime sibi laborandum putent, tamen in Theologicis disciplinis non modo plerique tantum, quantum in aliis, studium non ponant, sed, qui hoc in genere disciplinarum aliquod maius lumen literarum sequuntur, suspecti etiam atque inuisi videantur; & quod utroque turpius est, non desint, qui declament contra haec studia, & ne nimium studiosi discant, cauere admonitionibus suis studeant? Quodsi Theologia rara illa felicitate, qua haud scio an nulla alia disciplina, vinceretur, atque ad illud perfectionis fastigium esset adducta, ut nihil addi, nihil detrahi, nihil emendari, nihil sine rectius confirmari sive dici accuratius posset; aut si tanta esset intemperies diligentiae eorum, qui cultores Theologiae esse aut dici cerre volunt, ut frena potius quam calcarea admonenda illis esse viderentur: non esset sane quod huiusmodi clamores mirarer. Nunc, cum perpetua eaque religiosa diligentia, ut in omnibus, ita in his maxime disciplinis opus sit, si quidem sua perdunt improbi illi atque ignaui, qui ea quasi defodiunt, nec iustam quaerunt suae fortis vsuram, & cum ita remissa sint plerorumque studia, ut, si vellemus Alabandensem Apollonium imitari (apud CIRCERONEM de Oratore I. c. 28.) profecto in scholis cum paucissimis relinqueremur: quid est quod alienae modum



dum statuunt industriae? Atque ego non sum ita in iudicando iniquus, ut inuidorum putem has esse de studiis honestissimis quere-  
 las; quamquam difficile esse scio probare quae nec didiceris nec te  
 assequi posse speres. Sed ita videntur dignitatem Theologi sciunge-  
 re a loco eorum, qui populo erudiendo operam dare debent, atque  
 horum officia in eas angustias cogere, ut ab his pauca velint disci  
 oportere, nec subtilem rerum diuinarum humanarumque intelli-  
 gentiam admodum desiderent, sed usum vitae & facultatem medio-  
 cris scientiae ad animum moresque aliorum bene transferendae.  
 Neque minus moueri videntur, ut ita statuunt, quadam quasi in-  
 temperantia eorum, qui, neglecto propemodum inter studiosos dif-  
 ferimine, sic apparatus doctrinae vniuersae eiusque siue ornamenta  
 siue adiumenta commendant, ut, si quis illius imaginis magnitudi-  
 nem assequi posset, non rudis plebeculae magister foret, sed ab-  
 solutum Theologi exemplar. Ita fit ut, dum vtrique excedunt mo-  
 dum, bonorum ingeniorum diligentia siue impediatur ac retardetur,  
 siue obruatur rerum multitudine, ac ipsius doctrinae liberalitas  
 restatque studia magnum in discrimen veniant.

Quibus malis vitam hac disputatiuncula mederi aliquantum  
 possem, quae quidem hanc habet vim, ut quid inter Theologi &  
 Ecclesiasticis siue notitias siue studia interesse debeat, breuiter doceat.  
 Qua in re primum hoc deprecor, ne quis me puter siue contempne-  
 re popularem institutionem aut Ecclesiasticam auctoritatem, siue  
 aliquo praecipuo amore loci eius, in quo me Deus locauit, du-  
 ctum, laudes huius dignitatis, et, ut sumus homines, meas quod-  
 dam modo scribere velle. Nam etsi non stultus forem aut vanus, si  
 veram muneris dignitatem, hoc nostro tempore non modo a fa-  
 natibus hominibus, sed ab aliis quoque, qui sibi soli videntur sa-  
 pere, tantum non contentam defenderem, aut hoc veluti publi-  
 cum documentum ederem, quod me, quid ipse quaerere debe-  
 am, subinde admoneret: tamen, ut multarum rerum magni-  
 tudinem cogitatione, non statim ipsa actione complecti possu-  
 mus, id me semper secutum esse profiteor, ut, quae ad hunc locum  
 cum dignitate tuendum pertinent, ad ea religioso studio contende-  
 rem, consecutum esse nequaquam prae me fero. Neque, cum aliud  
 alio manus munus esse dico, obscurioribus, aut, si ita fas est loqui,  
 humi-





humilioribus studiis aliquid detractum volo. Nam vel in tenui labor est, nec deberet his quasi vendibilioribus tenuis gloria tribui, cum saepe plus, quam illa illustriora, profint, & ad plerorumque usum fere vberiora haberi debeant. Sed primum cupio eos, qui hanc nostram dignitatem siue obtinent siue obtinere olim possent, non docere quidem, (quod mihi non sumo), sed commonefacere tamen, ut semper meminerint paene infinitum spatium, quod nobis decurrendum Deus dederit; in quo profecto non illis ignavis propositum praemium est, qui, ubi sunt, consistunt, aut auctoritate quadam sua & dignitate, non labore perpetuo, id se reportare posse putant, sed qui eum studiorum cursum tenent, ut, contentis iis quae retro sunt h. e. rerum humanarum vanitate abiecta, semper ad ea, quae ante se sunt, concitato cursu contendant. Atque cum non sim nescius, imperitos esse multos, qui alios suo modulo ac pede meriantur, nec vel facile patiantur eos progredi ultra id, quod ipsi vix solent attingere, vel de alienorum studiorum granitate & molestia ne iudicare quidem possint: hi, vellem, discerent: in rebus arduis facile esse & valde humanum peccare, & si videret Theologus hoc grauius errare, quo acutius videre, quoque plura complecti mente deberet, vicissim cogitarent: in tanta rerum multitudine & vita occupatissima difficilius esse non labi, quam in parua rerum copia administranda. Omninoque ita quisque existimare deberet, cum Theologo conueniat, siue doctrina siue studio praeflare ceteris, qui in tradendis doctrinis diuinis versantur, cum non modo non reprehendendum esse, cum subtilius omnia quaerit, atque sic & ad multos errores populares repudiandos, & ad meliora proponenda ferat, sed laudandum quoque propter ea; neque enim vir doctus isque bonus nihil acutius aliis hominibus videbit, neque, si viderit, ea ad communem usum, quoad licet, non proferet. Denique qui recte teneat hoc, quod Theologum & Ecclesiasten (vetemur enim breuitatis causa hoc nomine) intercedit, ille quidem sibi ab errore cauere poterit in vtramque partem, ut nec illam linguarum siue veterum, siue recentiorum, siue Orientis siue Occidentis, historiae, philosophiae, matheos & omnium disciplinarum paene infinitam amplitudinem, nec harum literarum mediocrem, sed exactam & subtilem intelligentiam a quouis possu-





let, nec tamen eorum, qui religionem docent, diligentiam ita angustis cancellis circumscribat, ut vix ultra Catechismi aut compendiorum angustias progrediantur.

Iam in ipsius disputationis principio hoc, nemine, ut opinor, repugnante, sumere licebit: Theologum ita seiungi posse a ceteris, qui diuinam doctrinam profitentur, ut ille in formandis futuris rerum diuinarum doctoribus versari debeat, hi in erudiendis iis, quibus non ad docendum, sed discendum cogitandumque religio traditur. Quamquam, cum hoc discrimen ex aliqua externa conditione nascatur, qua sit, ut alius alio altiore locum teneat, qui e consilio auditores siue ad maiorem siue ad minorem doctrinam formandi existit: minime negligi oportet hoc, quod saepe illi, quem Ecclesiasten diximus, huius modi auditores contingant atque is officiorum ambitus, ut ille locus longe maiores vires & studia postulet, quam quorundam Theologorum conditio; nec quisquam dubitabit: grauiorem esse locum eius, qui auditores nactus est doctos, acutos, eximiusque studiis & vitae vsu politos, quales in aula & in luce esse solent, quam illius Theologi, cui formandi traduntur ii, qui in rure olim rudi plebeculae explicare salubres doctrinas debeant; ut mihi valde imperite iudicare videantur, qui putant: satis esse, ut qui ad Ecclesiastae locum contendit, quotidiana religionis principia discat, & facultatem compareret, ista populariter & ad *moderatum* proponendi, ceterum doctrinae apparatu, & vero etiam facultate sensum sacrae scripturae subtiliter videndi, carere commode posse. Quae dicta vellem ut numquam bonis viris exciderent. Nam *primum*, ut nihil est turpius, quam in infimis consistere, si progredi ultra posses & ad perfectam siue scientiam siue virtutem niti: non modo aliis viuere ac discere quemque oportet, sed sibi quoque; ac profecto pietate vacua sunt studia eorum, qui nihil tradunt aliis, nisi quod ab aliis memoriter didicerint, nec ipsi vniquam quaerunt aliquid, aut, quam verum sit, quod acceperint, proprio & quasi domestico examine perceperunt. Quare non modo ignauia studiosorum confirmatur, sed ipsa etiam *religiosa* studia impediuntur per ista decreta: linguarum studiis non admodum opus esse, extare tantam copiam honorum interpretum, atque tanta cum subtilitate a doctis Theologis definitam esse & constitu-

tam



tam Theologiam, ut etiam impudentia sit, si quis speret se meliora reperire posse. Quasi etiam magni viri numquam errauerint, aut quasi tu, in doctorem virorum dissensione, iudicare posses: quis verior sit & ad sequendum dignior, nisi ipse esses eodem literarum genere imbutus aut in iudicandis his exercitatus satis. *Ἐνασος ἐν τῷ ἰδίῳ ἢ πλεονεξία*, sapientissime dictum est a PAVLLO Apostolo (Rom. XIII, 5); quod, ut in omni vita, ita in tradendis doctrinis diuinis in primis teneri aequum est. Porro quem ad modum prudentia medici non adnumerabit aegroto causas omnemque vim morborum, id quod ne intelligi quidem ab imperitis possit, sed tamen is illam artis amplitudinem accurate tenere atque scienter secundum ista tractare morbos debet: sic, qui populo instituendo praefectus est, etsi illa exquisita artis arcana illis, qui sunt de multis, non tradet, sine his tamen interioris quasi artis notitiis boni magistri laudem tueri non poterit. Quod si quidquid animo complecteris, id omne effundendum in auditores esset, nec in rebus proponendis delectus habendus, ut quid, et quo modo apte proponeres, prudenter constituere deberes: ferri quodam modo possit, ut is, qui rudes instituit, nihil disceret, praeter id quod ad eos erudiendos utcumque satis est. Sed cum omnia suo loco dicenda sint et ad auditorum necessitatem accommodate, ne vel frustra dicantur vel sic ut noceant magis quam prosint; atque cum *difficile sit*, ut bene CICERO ait (Tusc. Qu. II. 1.), *pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque aut omnia, nam nec pauca, nisi e multis, eligi non possunt*: imperite videntur iudicare ii, qui paucis decretis putant terminatam esse posse sapientiam eius, qui in rudibus erudiendis elaborare debet, propterea quod parua sapientia tales auditores siue indigeant, siue contenti sint. Nec qui illum modum Ecclesiasticae doctrinae ponunt, cogitasse videntur: eiusmodi saepe tempora incidere, ut non sit ad eos dicendum, quibus ipsa magistri auctoritas pro argumento est, et quibus religio videtur vel de illorum decretorum veritate dubitare, sed aduersus hos, qui vel dubitationibus vexantur, vel omne ingenium ad Christianam doctrinam labefactandam adhibent. Hoc igitur tempore quid fiet illis magistris, qui nihil tenent praeter ea, quae a doctoribus suis olim quasi de manu tradita acceperunt? qui si ingenio mediocri sunt, in iudicando



cando parum exercitati, a magnoque doctrinae apparatu inermes, seque putant se defendere solis alleuerationibus et execrationibus posse; risum his, illis bilem mouebunt, eruntque, quod ipsi forte non putarant, tales, propter quos venerabile Dei religionisque nomen traducitur. Ex quo intelligitur, ne huius quidem inferioris generis magistros, sine impietate, doctrinae praefidio carere posse. Neque enim qui posset doctrinam assidua diligentia comparare, quae est ad religionis causam defendendam necessaria, et tamen ad eam comparandam segnis est, ab impietatis culpa liberari potest.

Sed quamquam nulla potest esse nimia diligentia, quae a saecularum litterarum magistro ad hoc studiorum genus transferatur: tamen, ea quae modo diximus, non hanc habent vim, vt negetur: a Theologo longe plura quam a ceteris magistris requiri. Cuius rei sunt plures causae, quas hoc loco commorare operae pretium fuerit.

Quas cum propono, non cupio eos, qui non habentur in Theologorum numero, liberari a necessitate tantam doctrinae ac virtutis altitudinem appetendi, quantam, sine causae suae detrimento, attingere vniquam studiorum perennitate possunt. Sed quamquam hos quoque hoc maiori laude dignos esse censeo, quo maiora studia ad religionem eiusque propagnandae conseruandaeque facultatem acquirendam contulerunt: tamen faciliores nos esse debere confirmo in ferenda exilitate doctrinae eorum, qui Theologorum non sustinent locum, propter ea quod saepenumero vulgus parua quoque sapientia regitur, & talis magistri bene possunt munere suo fungi, etiam si ad eminentis doctrinae meritumque fastigium non accesserint. At eos, qui Theologi locum tenere cum dignitate volunt, hos dico nequaquam huic satis facere loco, nisi lumine, subtilitate, certitudine, copia quoque doctrinae ac virtutum, & vero etiam cauta libertate in cognoscenda, proponenda, defendendaque veritate ceteris praestare contenderint.

Cuius rei haec *prima* causa est, quod Theologi, vt supra dixi, futuros Christianorum magistros, at isti ceteri, auditores formandos habent. Quo fit, vt sacerdos praeclare docuisse videatur, si, quae ad ipsam animi salutem consequendam necessaria sunt, & bene didicerit & populo fideliter atque populariter, h. e. ad plerorumque





rumque tenuitatem accommodate, tradiderit. Sed Theologum longe plura eaque longa melius complecti debere, nemo negauerit, nisi qui existimauerit: non plus siue doctrinae siue prudentiae magistrum habere debere quam tironem, nec maiorem sapientiam in eo requiri, qui est ad vniuersam familiam ratione & consilio regendam, & quid quoquo modo quisque agere ab communem usum debeat, praescribendum constitutus, quam in iis, quibus singula sunt & parua officia adsignata. Neque in his modo domesticis & ipsam religionem constituentibus excellere, sed eorum quoque facultatem habere Theologus debebit, quae foris ad conferendam rem publicam & auertenda pericula faciunt. Quarum rerum paene infinitam e pluribusque doctrinae generibus conflata multitudinem longum est enumerare. De paucis admonebo, quae, quamquam in primis necessaria sunt, a plerisque negliguntur, ne dicam suspecta aut noxia habentur.

In studiis rerum diuinarum primum profecto est & quasi basis vniuersae religionis, studium sacrarum litterarum, quarum intelligentia omnis pendet ab intelligentia consuetudinis loquendi & sententiarum, quas verbis in diuino libro adhibitis subiiciebant iis, quibus haec scribebantur. Iam quotusquisque est inter sacerdotes, quin in Pastore suo, aut Clauae aliqua, aut magistrorum suorum dictatis, aut alienorum commentariorum decretis acquiescat? plerisque ne in mentem quidem venit dubitare an recte hi libri omnes, usum loquendi in sacris libris tradiderint, sed, quasi haec disputatione non egeant, fidenter sumtum sensum ad doctrinam moresque illustrandos transferunt; tanta est leuitas in tanta causae grauitate! Quod quidem non ita dico, vt statim iis, qui inscitia magis aut errore, quam ignauia, peccant, turpitudinis notam inurere velim; nam saepe bonis quoque & sacrarum scripturarum vere amantibus viris facultas aut otium aut subsidiorum apparatus deest, vt vel inuiti cogantur se aliorum auctoritati committere. Ferendos hos esse & propter ceteras virtutes laudandos puro; modo se suo modulo ac pede metiantur, nec statim instituant commentarios scribere in sacros libros, quos nefas est illotis manibus tractari, aut, quod seditiosum est, pro suggesto & apud imperitam multitudinem traducant ea, in quibus quis forte plus illis sapit.

Neque





Neque vero ita iam omnia quasi exhausta sunt, quibus loquendi usus in sacris literis definitur, ut noui nihil in hoc genere reperiri possit, aut ita sensus perspicuus e similibus sacrorum librorum locis, ut non opus sit bonarum literarum praesidiis. *Primum* etsi verum est, nullum maius lumen locorum sacrorum obscuritati accendi posse quam per locorum scripturae similitudinem: tamen multa sunt eius generis sagaci interpretum diligentiae relictæ. Nam in interpretando, illa quidem loca & facile in mentem venerint & a multis notata sunt, quae alibi eandem rem ac iisdem paene verbis declarant; sed subobscura illa & vix sensibilis locorum similitudo, quae neque oculus ferit, neque digitis demonstrari potest, sed acute animaduertitur tenero quodam sensu, qui naturae maius beneficio datur, quam studio paratur, quique assidua lectione bonorum, praesertim eorundem, quibus assuescieri velis, scriptorum firmatur, ista igitur & valde neglecta fuit, & paucissimorum sensum aut animum afficit. Mihi quidem praeter GROTIVM, magnum profecto interpretem aut verius sacrae interpretationis patrem, vix quisquam visus fuit, qui ista similitudinis vestigia leuiter quasi impressa vidisset; quamquam summi viri ab hac parte sagacitas longe minus vel animaduertitur vel vsurpatur, quam deberet. Porro, ut est quisque optimus sermonum suorum interpres, & scriptio melius intelligitur ea; quae e similibus h. e. e talibus explicari potest, quae idem argumentum eodem tempore eodemque dicendi genere tractarunt: nihil sacrorum librorum interpreti magis profuerit, quam librorum sacrorum collatio. Sed in locis iis, quae vel nouas doctrinas non proponunt vel nouis siue vocabulis siue verborum significationibus non vtuntur, sed seruant loquendi usum alios apud scriptores graece loquentes adhibere, vel ad facta, consuetudines, sententias alludunt, quas perspectas esse constabat eius temporis lectoribus, quamquam earum rerum memoria prodeunte tempore oblitterata fuit, in his igitur vel nihil re vel non vbiq; certe adiuerit parallelismus scripturae, sed aliunde sunt interpretandi praesidia repetenda. Atqui ne ipsos quidem libros sacros Veteris Testamenti, in primisque illam Ebraizantem Graecitatem, quae est in graecis V. Test. versionibus, ita multi aut isti ita diligenter excuserunt, ut par erat fieri. Sed principio nescio quae indocta superstitio,





stirio, quae ausa est etiam sibi pietatis criticae nomen sumere, impediuit, quo minus Ebraicum loquendi genus in Nouo Testamento admitteretur, & cupiditas graecam elegantiam vbiicumque & vndecumque conquisitam vniuerso N. Test. asserendi, effecit, vt dum consuleretur commentitiae pietati in sacros libros, multa loca aut in obscuro relinquerentur, aut ineptissime peruerterentur. Qui error postquam obsoleuit & virorum doctorem disputationibus paene repressus est, quot quaeso sunt, qui veram vim Ebraicorum, praesertim eorum, qui sunt in noua significatione bene graecorum verborum, aut qui adiumenta veterum graecarum versionum, vel omnino adhibuerint vel in hac causa accurate versati fuerint? De *κίτρω* moris (I Corinth. XV, 55.), de *πνεύματι κατανύξεως* (Rom. XI, 8.), quam inepta, ne dicam puerilia, dicta sunt ab iis qui illud de *aculeo*, hoc nescio de qua *compunctio* intellexerant, nec animaduenterant, illud esse *דבר קטב* I. Ebraeorum h. e. plagam s. stragem, quam mors inter homines edidisset, hoc *רוח חיים* aut *רוח חיים* i. e. soporem? Quot disputationes exstant de *simplicitate Christiana*, quo nomine non dubitant multi vel ipsam ignorantiam commendare, doctrinamque & omnes bonas literas vituperare; cum talis impudenter non magis in mentem venerit sacris scriptoribus, quam CICERONI, qui, cum *simplicitatem* in amicitia commendat, non stultos iubet amicos esse sed fideles, quorum beniuolentiae nihil sit simulationis admixtum; cuius generis homines Ebraeis sunt *ישרי לב*, *ἀπλῶς τῆν καρδίαν* SYMMACHO Pf. XXXV, 11, vt apud eundem SYMMACHVM *תורה* vertitur *ἀπλότης* Pf. VII, 9. LXXVIII, 72. & alibi, nec aliam *simplicitatem* PAVLLVS sibi tribuit 2 Cor. I, 12. Alia lubens praeterito; sunt enim multa, & causae magnorum ipsa in doctrina errorum, vt in loco de praedestinatione. quae alibi excussumus. Ac in verbis N. Test. scriptoribus quasi propriis, qualia sunt *πίσις*, *νόμος*, *κόσμος*, *σάρξ*, *πνεύμα* & similia, in quibus praecipue debebant loca similia N. Test. adhiberi, vt rectae eaeque diuersae significationes discernerentur, quam securi sunt de sensu omnium locorum, in quibus illa vocabula commemorantur, cum vel *znam* significationem, aut vim verbi e lingua vernacula tenent? Vnde non modo errores in ipsa Theologia nascuntur, vt e male intellecto vocabulo *σκληρύνειν*, sed etiam inepta argumenta, quibus





verissimae doctrinae confirmetur; quale cogitur e vocabulo πνεύματος Io. III, 24, vt doceatur (quod quidem verum est): Deum esse naturam intelligentem, cum tamen, quod sciam, Graeci nunquam το πνεύμα hoc sensu dixerint; sed de ἀσσωμάτω quocunque, in quem sensum illum locum veteres graeci interpretes explicant\*), & ipse orationis Ioanneae contextus suadet cum loco simili Luc. XXIII, 39. De ἀναλογία πίστεως Rom. XII, 6., longe diuersa illa ab ea, quae in theologicis disciplinis commendatur, alii iam admonuerunt; poterat certe contextus, praesertim v. 3. 4., docere: illam πίστιν non esse fidem s. doctrinam sacram, sed τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν s. πεπιστευμένην, facultatem alicui a Deo concessam, quo sensu πίστις cum δυνάμει coniungitur Act. VI 8. in textu vulgato, cum alii codices ibi perspicue τὴν χάριν habeant. Talibus exemplis conuenit saepe admonere futuros doctrinae sacrae praecones, ne vel statim suspicentur haeresin esse, si quis, populari illustriorum S. scripturae dictorum interpretatione relicta, nouam proponit, aut labefactato aliquo ad confirmandam doctrinam argumento, statim putent insidias ipsis doctrinis fieri, vel, agnita leuitate argumenti, ipsam rem vanitatis arguant. Legem, vt hoc vno utar, nunquam ita, vt sit per nostram consuetudinem, sacri scriptores partiuntur in moralem, ritualement & forensam. Quae partitio, quamquam est suo modo & in arte satis bona, tamen PAVLLVS νόμον de Mosaica lege vniuersam, eamque abrogatam planissime dicit; non quo ἀνόμους faciat Christianos h. e. nulli legi addictos, quibus liberum sit sancte vel impie viuere, sed vt eos ἐνόμους Χριστοῦ declaret, (vt ille loquitur 1 Cor. VIII, 21); vniuersam legem Mosaicam tollit, nec porro admittit Mosaica decreta, nisi quatenus sunt etiam partes disciplinae IESU CHRISTI. Quare non statim contumeliose de lege diuina dicere putandus est is, qui ab omni Mosaica lege nos liberos dicit; atque haud scio an sic multi boni viri defendi possint, quos aliorum imperitia tamquam inimicos diuinae legi traduxit, itemque multae controuersiae, multa etiam impedimenta doctrinae de lege Dei recte proponendae tolli. Vicissim fit saepe, vt, qui viderint

\*) CHRYSOSTOMVS & ceteri. Omnino CYRILLVS cateches. XVI. §. 15. edit. ΤΟΥΤΑΙΙ δεῖναι το πνεύμα: πᾶν ὁ μὴ ἔχει παχὺ σῶμα, καὶ δολιχῶς ΠΙΝΕΤΜΑ καλεῖται.



derint ab antiquitate aliquem locum praecipue, sed non bene ramer, usurpatum ad doctrinam aliquam asserendam; subito hanc falsam clament, vt scio a quibusdam factum in loco Rom. XIII, 23: quo in veriozem sensum intellectu, arbitrabantur: nequaquam S. scripturam docuisse: quod nihil vere bonum dici possit, nisi quod a vera in IESVM CHRISTVM fide profectum fuerit. Sed haec nimirum vitia nascuntur ex illo neglecto studio vsus loquendi semper rectius constituendi; quod studium si vigeret, non esset verendum, ne doctrina diuina aliquid detrimenti caperet, cum stultum sit credere, Deum ita esse locutum vt ipsi doctrinae veritati noceret, & semper essent in promptu noua argumenta, quibus illa salubris doctrina confirmaretur. Quam ob rem magis magisque excutiendus est ille loquendi vsus, quem praeter ea, quae diximus, continent Iudaicae & orientalium dialectorum literae, in primisque veteres Ecclesiae Christianae monumenta, in quibus multa hinc inde sparsa sunt semina graecitatis Apostolicae. Quae quis est inter sacerdotes qui hodie legat, cum plerisque vix de nomine cognita sint? aut si qui legant, sententias venantur, quibus, tamquam gemmis, distingant vel orationes vel scripta sua, de doctrinae eorum multiplici ratione ac conuersionibus, deque graecitatis sacrae vestigijs, in qua vtraque re vnus maximus est illorum veterum scriptorum vsus, vulgus ne cogitat quidem.

Quorum haec omnia diximus? Vt intelligatur: cum ipsi sacerdotes nequaquam sectari haec omnia multis de causis possint, Theologorum hoc esse debere, qui istos ad populum olim Christiana doctrina imbuendum praeparant, vt talia diligentius inuestigata, accurate illis proponant, ne, in quo praecipuum se studium nostrum iactare deberet, in hoc maxime inertes reperiamur. Sed est adhuc aliud quoddam, quo Theologi futuris doctoribus, quos fingendos acceperunt, praecire exemplum debent. Nempe vulgus Christianorum satis habet, cum, quae animi salutem continent atque confirmant, populariter teneat fideliterque sequatur; cum vicissim deceat eos, qui docere alios velint, vniuersam religionis comprehensionem bene aptam & copulatam subtiliter tenere, in ea que tradenda caute & cum delectu versari, vt, quae minus vtilia sint a salubribus doctrinis refecerunt, vt occupentur dubitationes,



nec magis noceant proposita quam profint. Quod si Theologi ita docere ac agere debeant, vt habeant alii magistri, quorum, in doctrina, subtilitatem & prudentiam imitentur: dici vix potest quanta illis doctrina & consilio opus sit. Nam cum sapientiae diuinae visum fuerit, quae hominibus proponere vellet, non coniunctim nec quasi scienter colligarum doctrinarum contextum exhibere, sed per occasiones magis hinc inde dicere, quorum coniunctio in vnum corpus humanae diligentiae relinqueretur, atque Deus ita se accommodauerit primorum lectorum consuetudini & imbecillitati, vt & populari ac quasi spissiore oratione vteretur nec, nisi raro, per adiectiones (determinationes Philosophi dicunt) vim dictorum circumferberet, & cum argumentis vti vellet, Iudaico more loqueretur: multa existunt, quae nonnihil negotii facessant iis, qui ipsi e sacris scripturis dogmata in vnum quasi corpus & artem colligere, atque auditoribus breuiter, coniunctim & subtiliter declarare volunt.

Nam *primum* magna difficultas obicitur ex eo, quod variis in locis sacri libri pugnare secum videntur; quamquam facillior videri potest conciliatio in iis, quae sunt ipsam per rerum naturam certa, veluti quod Deus vitiorum auctor non possit esse, vnde intelligitur ea quae contra esse videntur, loca spissius & humano more de Deo loqui; sed difficilior est quaestio de locis pugnantibus, quae doctrinam continent in scripturis primum partefactam; cum dubitatio possit existere, vter sit locus ad alterum accommodandus. Hoc tamen constituto *nouum* studium requiritur in coniungendis omnibus Scripturae sacrae doctrinis ita, vt nullus quasi hiatus, nihil dissensionis existat, & vero etiam omnia sic conspirent, vt vnus dogmatis propter alterum necessitas ac veritas Scripturae consentanea percipiatur; quod longe difficilius intelligi quam veritatem singulorum enunciatorum, sciunt, qui aliquid in hoc genere, & ita quidem tentarunt, vt non ingenio suo aut *vnus* *deorum* decreta diuina accommodarent, sed haec, qualia sunt, desuissent ad normam sacrarum scripturarum. *Iam* etiam non opus est argumentis, quibus sacri scriptores Iudaicis lectoribus persuaferant doctrinae diuinae veritatem, apud nostros, qui neque moueri istis rationibus possunt, neque praeter sacrorum scriptorum, aut potius Dei, auctoritatem, alia requirere argumenta debent: tamen & vtile est nostram imbecil-



becillitatem adiuuari confirmatione doctrinarum sacrarum per ea, quae inter nos alias tamquam certa aut credibilia constant; & per dubitationes, quaestiones, oppugnationes etiam, ita subinde multae occasiones nascuntur confirmandae, defendendae, latiusque & subtilius declarandae istius doctrinae, ut semper noua diligentia adhibenda sit. *Ac* quo magis discendo in literis progredimur: hoc magis acuitur veri falsique discernendi sensus, ut lacunas, ut lapsus, ut parum id esse intelligamus, quod videbatur perceptum esse, e qua re non potest non magna difficultas existere, ut magna cum cura prouidendum sit, ut, in tanto rerum fluxu, non modo singula sibi sed etiam vniuersa constent. *Accedit* quod & aequum sit grato animo vsurpare ea, quae ante nos dixerint, qui in eadem disciplina elaborarint; & quod ad ipsam concordiam conseruandam atque cauendam lasciuientium ingeniorum petulantiam, facierum, quae aliquem doctorem constituit, eadem & legibus circumscripta docendi libertatem, a quibus religio sit sine graui causa discedere; immo quod ipse vir bonus, ne dicam Christianus, debeat tantum tueri pacem & in iudicando aequitatem, quantum vnquam per veritatis ac pietatis leges potest. Enimvero Theologus, qui non modo diuersitatem in tradenda sacra doctrina, itemque diuersitatem humanorum ingeniorum cognouerit, sed quoque exercitatus per accuratum studium conuersionum earum, quas religio cum Ecclesia subiit, intellexerit: quam saepe sepulta veritas, humanaeque temeritatis commentum pro illa substitutum fuerit, quam sit saepe optima causa pessimis argumentis defensa, quam multa per controuersias de solis verbis impedita, aut in aestu disputationis durius dicta sint, quae vitia tamen omnia vel auctoritate quorundam vel ipsa ueritate, vel externis quibusdam commodis eum aliqua tali professione coniunctis confirmata sunt: saepe habebit quod haesit & utrobique pressum se videbit, ut ne sciat siue vel veritatis professionem paci atque charitati, vel hanc illi praefere, siue quo modo cautissime alterutrum facere debeat. Quae res quantas in curas aut sollicitudines virum bonum ac religiosum conicere possit, quantamque cautionem postulet, ne quid in utramque partem delinquat: incredibile dictu est. Quare saepe soleo mirari impudentiam eorum, qui summi viri, PHILIPPI ME-





MELANTHONIS, inconstantiam, ut illis placet, & timiditatem omnibus lacerant modis, atque hoc magis se strenuos veritatis Evangelicae patronos & quasi heroes putant, quo contra optimum virum declament vehementius. Qui si ipsi tot fuissent aduersitatibus & curis exercitati, ut componere se quodammodo cum illo heroe possent, aut, ne nimium postulare videar, si vel e fontibus historiae illius temporis, in primisque ex aureis eius epistolis, didicissent periculorum magnitudinem, quibuscum luctari MELANTHONEM oportuit, & vniuersam istius temporis sortem: ferrem tamen istas querelas. Sed plerique, qui ita iudicant, vix quidquam de viro aut rebus eo tempore gestis teneat, quam e commentariis quorundam sui similibus: de ipsa religione accurate examinanda vix cogitarunt vnquam, nisi hoc sit religionem examinasse, si quis argumenta memoriter teneat, quibus doctrinae sacrae confirmari solent, aut ad dubitationes vtrunque respondere possit, quae in scholis tribuuntur dissentientibus. Cum non dubitent, quae in academiis audierint aut e libellis vulgaribus perceperint verissima & liquidissima esse ita certa ut vel examinare h. e. quaerere: verane sint ea etiam ac diuinitus tradita? piaculum sit: liberi sunt a dubitationum tumultu, & si quid eius generis obortum fuerit, habent expeditissimam elabendi viam; nihil est enim expeditius, quam tribuere malo genio, quae tua ignauia aut inuestigare detrectat aut stupor vetat examinari. Interim muniti sunt contra impetus omnes auctoritate sua inter suos, non vexantur dissentientium quaestionibus, non affliguntur propter veritatis defensionem sed etiam libenter audiuntur, nihil reditibus, nihil bonae famae decedit, quin etiam decederet, si magis libere sentirent seque a popularibus decretis alienos quodam modo profiterentur. In hac tanta quiete & otio, quo quidem nostro tempore fruimur, veritatem profiteri, cuius causa nihil patris, sed etiam laudaris, vituperare meticulosos ac fluctuantes MELANTHONAS, non magis difficile est, quam in museo & otio debacchari in imperatorum vitia, qui cunctando aut tergiuersando rem perdidisse videntur. Sed veniant illi in mediam aciem & tumultum; discant quae nunquam didicerint; sentiant infinitam vim dubitationum; vexentur acutis quaestionibus & respondeant non gestuum grauitate, non conui-



conuiciis, non anathematismis, non auctoritate doctorum, non odiosis Atheorum, Pelagianorum, Socinianorumque nominibus, quod est sapiente indignum, sed argumentis iis, quibus & sibi satisfaciunt & acutioribus aduersariis; videant errores populares, lapsus, vitia magnorum virorum, his tentent mederi, sentiant vim veritatis quae in lucem protrahi cupiat, moueantur cupiditate bene de veritate deque humano genere merendi, vicissimque cupiant parere magnorum virorum honori, & non modo praefagiant indignationem, odium, bonae famae ac libertatis iacturam, pericula quae alia, in quae contra dicendo incurrant, sed, quod magno animo atque Christiano longe maius videri debet, etiam turbatam inter homines pacem, damnaque ea, quae simpliciorum animis asferre, & discrimen, in quod adducere ipsam salutarem diuinamque doctrinam & conscientiae alienae tranquillitatem possent: ac tum dicant, quid agendum in tanta fluctuatione, fugiendumue sit. Omnino si quis cogitet: sacerdotibus singulis paruum contingere gregem, qui plerumque paucis contentus est, in quo regendo hoc vnice spectari debet, vt omnes recte discant, quae ad salutem fiant, intelligere, pietatem amare & sequi, vitia abhorre ac fugere, habeantque quod ad laetam spem misericordiae diuinae, ad virtutem, & animi tranquillitatem semper praesto sit; contra Theologum rationem olim reddere debere Deo pro tot doctoribus, a quorum recta institutione pendet vniuersae salus Ecclesiae, quae tamen ipsa institutio sine maxima doctrinae copia & adhibita summa cautione bene procedere non potest: facile intelligit: magnam esse discrimen officiorum, quae a Theologo, quam quae a ceteris Christianorum doctoribus, requiri debeant.

Iam vt per hanc, quam Theologi obtinuerunt, sortem, ipsos oportet doctrina atque ipsa prudentia superiores ceteris esse: non est mirum iis aliquam maiorem auctoritatem tribui; quae res *notum* discrimen eos inter & ceteros efficit. Quam auctoritatem non talem intelligo, qualem vel eminentia loci, in quo quis fuerit constitutus, & leges ciuiles induxerint, vel maior in rebus publicis gerendis potestas & quasi imperium effecerit; est enim haec arbitraria & fere a rebus externis pender: sed eam quae nascitur e maiori doctrina & facultate eius bene in educandis futuris doctoribus





ribus administrandae. Etenim, ut nunc res nostrae sunt, nullus ad docendam Ecclesiam admittitur, nisi qui Theologiae initia a Theologis ante didicerit. Quare in promptu est intelligere: quid sit quod Theologorum auctoritatem maxime sibi sequendam putent. Magna educationis vis est magnaque auctoritas eorum, quibus sumus tanquam praeceptoribus vsi, siue id apud plerosque ingenta quadam ignauia fiat, ut alios sequi malint quam ipsi quaerere viam, siue pietate quadam aduersus eos, quibus animi praecipuam culturam debemus, siue quod arbitremur aequum esse ut, qui in aliquo genere excellent, hos haecenus sequamur eorumque fruamur studiis. Neque hoc postremum immerito fieri videtur; propter ea quod & inuenilis aetas studiosorum indiget doctorum studiis, ad doctrinam animumque regendum, sed & illam doctrinae amplitudinem quisque maxime expectare aut postulare certe ab illis debet, qui vniuersam vitam vni in hoc literarum genere contriuerint, ac multa sunt quae tenei a populi doctoribus debent, ad quae tamen reperienda illis neque otium neque subsidia, neque alia suppetunt, ut necesse sit, eos multa sumere a Theologis, quibus tamquam certis & fixis notitiis principiisque vtantur.

Vnde duplex genus officiorum intelligitur. *Primum* Theologorum, qui, quo maiore apud alios auctoritate fruuntur, & longe maiorem ceteris diligentiam ac studium adhibere debent, ne ignorantia aut inscitia sua desint aliorum studiis eosque fraudent spe sua, qua in magistrorum institutione acquiescunt, & maxima in tradendis doctrinis formandisque aliorum animis cautione vsi, ne ipsa auctoritate noceant & futuris doctoribus, & ipsi rei publicae sacrae.

Ac illud superius non modo continetur perenni studio vltra in literis & cuiuscunque generis doctrina progrediendi, sed etiam liberali ac religiosa professione eorum, quae accurate & forte relictus, quam alii, cognoueris. Quod si enim Theologus satis suo loco fecisset reperendis ingerendisque iis, quae ab aliis tradita acceperit, obsecro quid opus esset omnino *Theologis*? Nisi quis esset a sensu communi vacuus, idemque tenaci memoria & medioeri apparatu probatorum librorum instructus, praesertim si haberet probabiliter declamandi facultatem: facile tantam dignitatem fide-  
liter



litter sustineret & ubicunque sit magna talium Theologorum copia haberetur. Quamquam non video, quo modo talis existimare possit: se ex animo ista vel credere vel profiteri, cum aliena haec fides sit, non sua. h. e. non rectam & liberam per inquisitionem acquisita, ac quisque *de se ipso* rationem redditurus sit Deo, ut ait PAVLLVS Rom. XIII, 12. Quid fiet autem, cum acutiorum nouis, nec opinatis, quaestio nibus aut dubitationibus premitur? aut mutata scholasticarum disciplinarum forma & aucto lumine literarum ipsa quoque discendi docendique ratio quodam modo mutatur? aut tempora incidunt, ubi serupuli suboriantur: sintne ista omnia, quae vera creditur, satis certa, ut firmam spem salutis habere possit? Sed si cui plus est facultatis a Deo liberalitate concessum, quam aliis, & ea auctoritas contigit, ut vel per hanc possit doctrinam liberalem propagare: aequae, ac a deo dicere plus peccat, si haec, quae rectius viderit, ad publicum commodum non proferat. An frustra concesserit haec bona Deus? aut satis fecerit is ad Ecclesiae aedificium perficiendum, qui, quae extructa sunt, ne corruant, cauet, non item addat quaedam, ut ad iustam mensuram templum Christi magis magisque accedat (Ephes. III, 13.)? Equidem in ea re valde desidero fortitudinem magnorum quorundam virorum, qui cum satis acuti sint ad cognoscendam quorundam popularium opinionum vanitatem, & auctoritate sua tanta, quanta paucissimis contingit, frangere earum vim, & mederi morbo late grassanti possent, tamen, ne odium sibi concilient & aliquam auctoritatis iacturam apud vulgus faciant, non modo intactum sinunt vlcus, sed, si suspicio haeresos nasceretur, etiam istos errores omnibus modis siue defendunt, siue coloribus ita ornant, ut in alteram partem negent certo pronuntiarum posse. Cuius generis exempla ponere inuidiosum est quidem; neque hic locus capit longam de sinibus libertatis in docendo recte regendis disputationem. Quare quid mihi de ea re videatur, pertinentis ad hoc institutum nostrum, paucis dicam.

Nempe in reprehendis iis, quae vel perperam sacra habentur aut diuina, vel videntur sic cum religione coniuncta, ut negari sine huius detrimento non possint, non nego maxima modestia & verecundia opus esse, quae debetur rebus omnibus quae, etsi male, sacra esse putantur. Nec probo petulantiam eorum,





qui, ut aliquem suae errorem suae vitium in rebus sacris animadu-  
uererint, vehementer contra talem, ut credunt scilicet, vulgi stu-  
porem aut superstitionem declamant, saepe etiam ad deridendum  
propinant. Et vero etiam eos dari concedo errores aut eas opinio-  
nes vulgi, quae nihil aut parum attingunt mores animique piam-  
tem, quin multum vel haecenus prosint, sic ut, illis sublaris, plus  
noceatur virtuti, quam, verioribus proponendis, succurratur. Sed  
primum impium est & viro bono indignum, in rebus grauioribus,  
quae sunt cum salute hominum perspicue coniunctae, atque pers-  
picue in sacris scripturis propositae, errores ferre regnantes, om-  
ninoque publice quidquam profiteri contra animi sententiam ac de-  
fendere. Deinde & in eo genere rerum, quae non ipsam religio-  
nem continent, sed cum ea tamen sunt aliquo modo coniunctae, &  
e genere historico magis, quales sunt quae ad *scripturam* textus sacri, ad  
interpretationem, ad Theologiae subsidia pertinent, non debet  
Theologus parcere erroribus vulgi, si quidem istae res magnam  
habent rationem ad veritatem sacram suae propagandam suae im-  
pediendam. Qua in re magnum habemus exemplum, LUTHE-  
RUM nostrum, qui eadem vi ac fortitudine pro bonis literis &  
grammatica interpretatione pugnavit ac pro ipsa puritate religio-  
nis, nec dubitavit Ebraeos N. Test. defendere puncta codicis  
ebraici Iudaeorum magistris tribuere, & verba, quae nostrae editio-  
nes habent I Ioh. V. 7, constanter & acriter repudiare. Quod ex-  
emplum in eo genere imitari Theologus suo modo debet, nec in-  
dignatione aut offendiulis imperitorum deterreri. Etenim ab  
his ipsis rebus certitudo pender eorum, quae sunt diuinitus in sa-  
cris scripturis tradita; quorum causam prodit, quicumque in illo  
altero genere vel ita negligens est veritatis, ut veterem inscitiam  
sequi malit quam, quid verum sit, candide & accurate dispicere, vel  
etiam, consuetudini gratificaturus & famae suae, consulto errores ve-  
teres confirmat. Neque talis Theologus super ista re sic se potest  
defendere, ut dicat: parcendum esse erroribus his, qui & a pleris-  
que probentur, & habeant speciem reuerentiae in sacras scriptu-  
ras, propter ea quod providendum sit ne aut animi rudiorum offen-  
dantur labefactatis huius modi rebus, aut ipsa religio in aliquam  
suspicionem adducatur. Nam & veritas numquam potest noxia  
esse,



esse, & errores hoc magis labefactandi sunt, quo magis afficiunt ipsam religionem, cui non nimis prospici & caueri etiam a talibus corruptiis potest, quae vel ab optimo ac pietatis pleno animo proficiscantur; nisi velimus ipsum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM & eius Apostolos reprehendere, qui hoc praecipue egerunt, vt veteres Iudaeorum errores labefactarent, quamquam erant inter hos, qui reitici sine impietate non posse viderentur, vt obseruatio rituum Mosaicorum a Deo ipso praescripta, & alia eiusdem generis. Neque ego id negotii in rebus talibus dandum esse dico his qui populum instituunt, nec dissiteor ineptum id esse ac fere detrimentosum, si quis talia e suggesto saero imperitiae multitudini proponeret, sed Theologis hanc libertatem aut potius officium tribuo, vt futuros doctores Ecclesiae, quorum ea interest scire, muniant aduersus hanc opinionum temeritatem. Quamquam & supra professus sum maxima hic lenitate & verecundia opus esse, quam, vt in omni disputatione adhiberi oportet, sic maxime in rebus iis quae vel natura sua vel vetustate vel magnorum aut proborum hominum auctoritate venerabiles videntur.

Quam ob rem oportet Theologum meminisse quod de se Paulus dixit 2 Cor. XIII, 10: facultatem sibi datam esse a Domino *eis eis εινδοξην, και εν εις κειραισιν*, neque totum esse in conuellendis vulgi erroribus & labefactandis popularibus pro veritate diuina argumentis, contra in defendendis iis, quae recte in vulgus probantur, & doctrina Christiana accuratius confirmanda, nihil diligentiae ponere. Cauebit etiam ne prima specie erroris ad contra dicendum moueatur, aut aliquo ingenii feruore, vel nouarum rerum cupiditate auferatur, quae vitia sunt bonis & calidis ingeniis valde inimica. Multo etiam minus audebit personam reformatoris sumere omniaque sacra & profana mouere, vbi nec popularium sententiarum vim earumque explicandarum modum assidua & sobria Theologorum lectione didicerit, nec se diuinarum humanarumque literarum apparatu bene instructum, diurno earum vsu exercitatum, & maturo rerum in vtramque partem examine in sententia confirmatum cognouerit. Et vel sic tamen cogitabit: multa esse, quae ferre haec aeras aut hoc hominum genus non possit, nec omnia tamquam cum omnibus communicanda effundet.





det, sed sensim & prope sine sensu ad ampliora & meliora fingere homines studebit, cetera aliis relinquet, quorum conditio in illustriora tempora & homines magis praeparatos inciderit. Denique suae imbecillitatis & debiti omnibus amoris memor, ita cum aliis ager, vt, si similem nactus esset fortem, secum agi vellet, omninoque ad *Pauli* exemplum, *omnia omnibus fiet*, vt non sua culpa animos magis alienet a veritate quam alliciat, sed, cum omnes non possit, aliquos tamen lucrifaciat.

Huic generi officiorum, quae in Theologos ipsos cadunt, oporteret respondere alterum genus, quod illis ab aliis vicissim deberetur. Cuius amplitudinem longum est hoc loco explicare; quare non nisi duo attingam. *Primum* est, vt, cum existimamus aliquid tribui auctoritati debere, Theologi cuiusuis auctoritatem non annis, non nominis celebritate, non doctrina eius aut probitate vniuerse spectata metiamur, sed meritis, sed doctrina praesertim in eo genere literarum, quod maxime Theologiam attingit, sed ingenii liberalitate & religioso studio doctrinae non sictam sed veram puritatem ac veram pietatem in Deum, & in alios amorem propagandi. Neque enim omnes senes plus aliis, nec omnes adolescentes fero sapiunt. Ac nominis celebritatem saepe indignissimi, non admodum honestis mediis, etiam aliqua felicitate temporis, nec raro impudentia potius, quam bene merendo, consequuntur; cum aliorum longe digniorum nomina obscuritas aut obliuio sepe liuerit. In vno genere autem excellere potest, qui nihil potest in altero, quod de quouis, etiam maximo viro, verum est, nec enim omnes omnia possumus; quem ad modum non integerimus quisque & siue probitate maxima conspicuus, siue optime de ea meritus, statim aptissimus est ad alios sapienter regendos. Quamquam haud scio an paucissimi iudicare possint, cum pretium singulis hominibus statui oportet; vt fere satius sit nihil secundum auctoritatem, sed omnia secundum ingenii, doctrinae ac pietatis documenta a quoque data decernere. Quod inprimis hoc consilio commemoro, ne cum audiamus a Theologo vel defendi vel repudiari aliquid fecus quam ceteri fecerint, statim de eius sententia aut animo atque consilio pronunciemus in malam partem, eamque cunctis quasi suffragiis condemnemus; cum non modo aequitas & amor, qui



qui errantibus debetur, iubeat clementius de consilii alieni integritate iudicare, & DEO, cui vnice peruia sunt animorum consilia, iudicium remittere, sed veritas quoque saepius apud paucos fit, ac Deus saepenumero vni, etiam nullae auctoritatis homini, concedit, quarum intelligentiam negauerat ceteris. Arque hoc magis necesse videretur in iudicio de illis ferendo, qui aliquam siue fortuna siue meritis auctoritatem nacti sunt; quod est *alterum* erga Theologos officium. Nam, vt de ceteris aequitatis in iudicando caussis nihil dicam, tantum impedis ea, quibus bene mereri, etiam auctoritate sua adhibita, tales de doctrina ac pietate possent, quantum eorum famae detrahis. Ac saepenumero fit, vt est humana imbecillitas, vt qui admonitionis lenitate facile in rectam viam potuissent reduci, acerbitate ac inscitia aduersariorum magis etiam alienentur *vel* a veritate, vt omnia tentent, quibus famae suae ac sententiae consulant, & perspecta inscitia dissentientium in errore confirmentur, *vel* ab ipsa etiam Ecclesia, quod semper infinita mala peperit; nam & multi vel sola misericordia mouentur, vt hominis vndique ab aliis vexati partes suscipiant, praesertim cum vident, aliquid certe veri ab eo defensum fuisse, & magnam habere vim auctoritatis spectati viri, ad scrupulos animis iniiciendos contra communes, quamquam veras, sententias. Quare sic sentio, si quid tale existerit vt videatur Theologus eas propagare sententias, quae abhorreant a veritate, aut videantur aliquid habere periculi, cauere debere, etiam a magistratu, ne cuius liceat libellis, nedum in publica conuentione, errantem lacescere, sed priuatis, iisque modestis & placidis, etiam familiarium & cordatorum virorum, admonitionibus tentari, vt vel accurate & scienter erroris conuincatur, vel, si non possit, tamen ad maiorem cautionem & maturius examen impellatur. Quod si vero opus fuerit propter rei grauitatem publice contra dicere, vt id non modo a viris doctrina & aequitate conspicuis, sed etiam moderate fiat, ac sine errantis ipsius commemoratione, magisque ita confirmetur veritas, vt errores ac dubitationes sua sponte euanescant, quam temeritas opinionum & argumentorum proponatur.





Sed haec haecenus. Ac restarent plura, quibus discrimen inter Theologos & ceteros Ecclesiae ministros definiretur; sed ita praeter spem excrevit huius disputationis argumentum, ut necesse sit modum dicendis adhibere. Quare nihil licet addere, quamquam vellem, vel de maiori subsidiorum apparatu, quae solet Theologis prae ceteris contingere, vel, quod vnum maximum est, de eminentia probitatis, integritatis, omniumque virtutum, quibus esse omnes debent Ecclesiae doctores maxime conspicui esse, tamen longe etiam magis excellere in his Theologum oportet, cum exemplo & agendo plus efficiatur quam ipsa doctrina. Quamquam & earum rerum quasi quaedam fundamenta iacta sunt in superiori disputatione, ut, quem ad modum speramus illa non sine fructu dicta fore, haec facile opinemur addi posse ab iis, qui rem diligentius cogitare velint.

Erat autem haec disputatio suscepta ut quasi praeculerem publicae significationi sollempnitatis, quae nuper admodum exstitit, cum Venerandus atque clarissimus vir IOANNES GOTTLIEB TOELLNERVS, in academia Viadrina, quae Francosurti floret, Philosophiae ordinarius, itemque Theologiae extraordinarius Professor, honestissimis de causis cuperet, ut ab ordine nostro dignitate & iuribus Doctoris sacrarum scripturarum maestretur. Cuius doctissimi viri merita longum est hic enumerari, certe, quicumque cognouerit, quae nostra aetate siue in Ecclesia siue inter eruditos gesta fuerint, nemini obscurum esse potest, quam sit de Theologiae ac Philosophiae finibus propagandis formandisque hominibus ad verum rectique sensum & verissimam pietatem liberaliter ac praeclare meritis. Et adumbravit ille quodam modo imaginem & vitae suae rationem narratione ea, quam huic disputationi subiecit. Quamquam ex ista & libris eius, animus, doctrina & mores parum cognoscuntur, longe plura audiuimus ex iis, quibus virum audire eiusque virtutes proprius cognoscere contigit. Quocirca non dubitauit Collegium nostrum eum cooptare in numerum eorum, qui hanc DOCTORIS SACRARVM SCRIPTVRARVM dignitatem in primis mererentur; idque nuper declarauit publicis litteris per me ad hanc sollempnitatem legi-



legitimè constitutam. Quod quidem nunc ita repeto atque more eo, qui in academijs auctoritate imperatoria & regia introductus est, ita declaro, ut cum Collegio nostro vniuerso verissima uera faciam: ut DEVS O. M. haec, quae suscepimus, ad maximum rei publicae fructum fortunet, atque animum & studia Viri Venerandi vniuersa sibi probata, ipsi laeta &, ultra ipsos huius vitae terminos, salubria, ad Ecclesiae denique incolumitatem conseruandam, propagandam veram virtutem, & vitia inter homines magis magisque labefactanda, aptissima esse iubeat, propter filium suum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Ita fiat feliciter! P. P. in Academia Halensi ipsis Calendis Sexti.

A. C. MDCCLXVII.







  
**IO. GOTTLIEB TOELLNERI**

DE

**VITA SVA**

NARRATIO.

Natale solum colo Charlettaeburgum, oppidum Berolino proximum domo hortisque regis clarum. Parentem habui eiusdem omnino mecum nominis, coetus christiani in hoc oppido pastorem; virum probum, a patre in illaerabili bello pietifico nomen assequuto, ad eruditionem pariter, ac ad pietatem formatum. Prodi ex eodem, & matre halensi, Kruegeri, de re physica & medica primum Halae deinde Helmstadii egregie meriti, sorore, anno 1700. d. v. iduum decembrium. Sed vix imago mihi haeret viri optimi matura morte erepti. Amissi locum occupavit Valentinus Protzenius, patris in munere sacro successor, mox sacrorum in ducatu Crosnensi antistes, & denique iam ultra viginti annos REGI a consiliis sacris in Pomerania, templique Iacobaei, quod Sedini est, pastor primarius. Hunc igitur virum, rara tam animi corporisque incolumitate, quam sanctitate, muneribus amplissimis in prouecta aetate defungentem, tamquam verum meum patrem a me venerandum numinis prouidentia voluit.

Post prima litterarum rudimenta sub oculis ipsius posita permisit me fidei praeceptorum de lyceo Crosnensi tum bene mentium. Adiecit vero priuatam Langii, collegae lycei solertissimi, eaque re effecit, vt anno aetatis duodecimo iam pentateuchum in fontibus legerim. Annum hunc egressus disciplinae



plinae *Roloffii* B. celeberrimi, cum philosophiae professoris extraordinarii partibus, rectoris lycei, quod in hac vrbe est, prouinciam tum temporis coniungentis traditus huc veni, & biennium in viri de elegantioribus literis, si non matura morte occubisset, plane singulariter merituri, non disciplina tantum sed conuictus societate etiam vixi. Sed eodem munere philosophico ordinario ornato, & hinc se academiae totum dicante, studia aliorum transferenda erant. Et numquam grato excider animo prouidentia, qua ad eadem prosequenda in scholam latinam orphanotrophei, quo Hala fiorer, & de quo auus meus olim non male meritis erat, deductus sum. Binis in hac schola annis primum secundi deinde primi ordinis ciuis in literas incubui; sed auiam maternam, feminae non fucata sanctitate commendabilis, tunc adhuc viuentis domo, auunculi que supra dicti contrubernio exceptus, egregiis tantum, qui tunc de hac egregia schola merebantur, praeceptoribus vsus sum. Carissima mihi sunt, eruntque semper prae aliis nomina *Michaelis*, academiae Georgiae augustae iam decoris & ornamenti, & *Freylinghusii* summe reuerendi, a quorum illo ad latinas, ab hoc vero ad graecas & hebraicas litteras formari mihi datum fuit. Sed de mentis, religionis ac pietatis praeceptis imbutae, diuitis, omnes litterarum & eruditionis opes superantibus intus conuictio mihi venerandum nomen est, eritque semper, *Knaippii* summe venerabilis, cuius adhortationibus femina sanctitatis summi que numinis reuerentiae accepta fero, quae per lubricam in academia actam aetatem fructus salutare tulerunt, ferantque aeternos!



Biennio ita rectissime in hac felice tam litterarum quam pietatis disciplina exacto, quum non numerus discipulorum ad ordinem selectum formandum sufficiens adesset, vere anni 1701. studia in academia iuueni nomen ad disciplinas



nas sanctiores professuro eximia pollicentem, hoc est, Fridericianam propuli. Et contigit mihi esse tam felici, vt a studiorum academicorum ingressu statim in Baumgartenii immortalis, theologorum suae aetatis facile principis, hospiti & conuictus societatem receptus, & bibliothecae ipsius, iam tum non bibliothecae ordinariae, praefectus fuerim. Comes itaque haesi viro incomparabili per tres annos indiuulsus in scholis theologicis, quarum vnā negligentius habere nefas fuisset. Sed adieci operam aliis summorum virorum praelectionibus debitam. Libros sacros antiquiores in fontibus cursorie legi vniuersos *Knappio* venerabili, aliquos sollertius *Michaeli* b. celeberrimo praeunte: & ex huius viri disciplina litterarum orientalium notitias curatiores & ampliores collegi. Philosophiam ex *Wolfii* numquam interituri, *Weberi*, & *Meieri* celeberrimi; physicam & mathesin vero ex *Krügeri* & *Semleri* institutionibus hausi, illius quoque exemplo quasi domestico excitatus non in solitis matheseos studiis substiui. Et philosophiam cum mathesi sollertius colere eo magis meum duxi, quum, eximia vitae academicae voluptate captus, vitae domicilium olim inter musas Fridericianas collocandi cupiditate flagerem, *Baumgartenius* quoque studiorum meorum moderator & parens, eandem in me potius alendam quam compefcendam iudicaret. Sed rei domesticae rationes, patrisque me ad munus sacrum obeundum destinantis voluntas, cui parendum erat, me vere anni 1700 xxxiiii. a musis mihi tam caris auocarunt: quas tamen non reliqui sine tirocinio in dissertatione *de lege naturali lege diuina* publice posito.

Meis igitur post quinque annorum absentiam redditus mox praeceptoris domestici prouinciam in gente *Enckeuortiana* suscepi & perillustrem, qui iam regimini prouinciae collegiisque sacrorum in Pomerania praefidetur, *Enckeuortium* ad acade-





 academiam praeparavi: a patre ipsius, viro rara vitae sanctitate insigni, praeter ea ad de animis in terris ipsius viuentibus sermonibus sacris singulis sabbati diebus habendis merendum confuturus. Discipulo meo studia e limine proferente, similem spartam in familia *Splittgerberi*, nominis inter mercatores Berolinenses clarissimi, reique armariae praefecti, nactus & eadem per tres annos ita defunctus sum, vt egregias, quae in capite imperii patent, ad doctrinam summorum in omni arte virorum frequentatione amplificandam, notitiasque omnis generis viles colligendas, occasiones non dimittendas iudicauerim, sermonibus sacris publicis quoque assiduam operam dederim: sed propositi votique olim inter litteras viuendi semper tenax.

Et ea re factum est, vt aestate anni cIoIcccxxxviii. ab illustri celebratissimoque exercitus regii imperatore, comite de *Schwerin*, ad munus sacrum in legione ipsius pedestri obeundum vocatus huic vocationi eo lubentius obtemperauerim, quo plura me in hac nostra ciuitate, cui legio ipsius a praefidiis erat, & in artium litterarumque, qua floret, vniuersitate, ad votorum meum complementum sperandum erigebant. Et animus erat, cum munere sacro mihi demandato statim scholas academicas coniungere. Sed tum valetudinis infirmitates mox surgentes, tum alia impedimenta me iisdem interdicebant, & tantum de iuuentute nobili legioni adscripta aliquantum mereri datum erat. Ex meditationibus eam in rem directis enarus est liber, quem sub titulo *Bildung eines zukünftigen vollkommenen Officiers* publici iuris feci. Et ita octo fere annos in legione *Schweriniana* vixi: singulari, qua me praefectus ipsius illustris dignabatur, amicitia an indulgentia dicam nescio, & cuius memorabilia quaedam in scriptiuncula *ein Christ und ein Held* inscripta narraui, ad munus meum inter omnes aduersariae





valetudinis molestias mutandique occasiones prosequendum compulsum.

Vere anni c1o1occlvi. demum, & post REGIS augustissimi de literis theologicis lutherani coetus studiosis in Viadrina pariter ac in reliquis academiis regijs pandendis voluntatem significaram, voti compos, & sine vlla ex mea parte facta sollicitatione theologiae professor euangelico-lutheranus in hac academia constitutus & Deuschio Simonettoque meritissimis adiunctus sum. Qua ratione ex illo tempore de disciplinarum sanctiorum cultoribus se fidei meae committentibus mereri, nihilque ad illos ad rem seruatoris sanctissimi olim cum fructu agendam praeparandos necessarium relinquere curae cordique habeam, in scholarum mearum theologicarum recensione ante aliquot annos publicata exposui. Accessit sub auspicijs anni c1o1occlx. & post Nicolai b. cel. discessum Seruestam factum philosophiae professoris ordinarii munus, quo ita defungor, vt philosophiae tum theoreticae tum practicae, praesertim vero metaphysicae notiones ac praecepta disciplinis theologicis attemperatissima euadant. Quum, quae ex muneris philosophici mihi demandari legibus egi & scripsi, huius loci non sint, librorum meorum theologicorum potissimos tantum venerabili theologorum, quo Fridericiana splendet, ordini inspiciendos curavi: disputationes & programmata, quorum conscribendorum occasiones vita academica praebuit, non tanta habens, vt tantis viris offerre audeam. A quibus vt mihi DEI O. M. ad cursum meum feliciter prosequendum, remque meam rectissime agendam, praesertim & auxilia sanctis suis deprecationibus impetrare non dedignentur, enixe & suppliciter contendo.

Scripto-





Scripta mea theologica sunt, praeter programmata & dissertationes, inter quas est de pentateucho, codice hebraeorum diuino, dissertatio a Steinbartio, iam venerabili consistorii neomarchici membro, & paedagogii Züllichauiensis directore secundum principia mea exarata & me praefide defensa:

Sammlung einiger Predigten für nachdenkende Leser, Frf. 1755.

Das Abendmahl des Herrn gegen alle Verächter desselben erklärt und gerettet. ibid. 1756.

Programma: de vero disciplinarum theologiarum ambitu & nexu. ibid. eod.

Die Leiden des Erlösers in neun Abhandlungen. ibid. 1757.

Johann Alphonfus Turretins kurzgefaßte christliche Kirchengeschichte, übersetzt, mit Anmerkungen versehen, und bis auf die gegenwärtigen Zeiten fortgeführt. Königsb. 1759.

Gedanken von der wahren Lehrart in der dogmatischen Theologie. Frf. 1759.

Vertheidigung dieser Gedanken. ibid. eod.

Grundriß der dogmatischen Theologie. ibid. 1760.

Grundriß der Moral-Theologie nebst demselben vorgesezten Gedanken von der wahren Lehrart in derselben. ibid. 1762.

Nachricht von meinen theologischen Vorlesungen. ibid. 1763.

Wahre Gründe, warum Gott die Offenbarung nicht mit augenscheinlichem Beweisen versehen hat. Züllichau 1764.

Grundriß einer erwiesenen hermeneutic der heiligen Schrift. ibid. 1765.

Grund-





Katechetischer Text, oder Grundlegung des christlichen Lehrbegriffs für Vnstudirte. *ibid.* eod.

Die Zeit des Menschen, vnd die goettliche Abtheilung seiner Zeit, in einer philosophischen Predigt am Neujahrstage vor meinen Zuhoerern gehalten. *ibid.* 1766.

Grundrisf einer Anleitung zum Fleiße in der Gottesgelehrsamkeit für künftige evangelische Lehrer. *ibid.* eod.

Beweis, dasß Gott die Menschen bereits durch seine Offenbarung in der Natur zur Seligkeit führt: als der wahren Gründe zweiter Theil. *ibid.* 1766.

Anleitung zu einer zweckmaessigern Einrichtung der Predigten über die eingeführten Sonn- und festtäglichen Texte, *ibid.* eod.

Kurze vermischte Aufsätze: erste Sammlung Frf. 1766.

Derselben zweite Sammlung. *ibid.* eod.

Derselben dritte Sammlung. *ibid.* 1767.

Grundrisf einer erwiesenen Pastoral-Theologie. *ibid.* 1767.

Addo Alex. Gottlieb Baumgartenii acroasin logicam a me autam & in systema redactam, quatenus tum doctrinam de fide tum hermeneuticam generalem in eadem, quantum tum potui, locupletare & ad theologiae vsus accommodare allaboravi.





99 A 6985

ULB Halle 3  
002 823 829




Rha ✓











DIGNITATEM  
DOCTORIS SACRARVM SCRIPTVRARVM  
A  
COLLEGIO THEOLOGORVM  
HALENSIVM

IN  
VIRVM MAXIME REVERENDVM  
EXCELLENTISSIMVM ATQVE CLARISSIMVM  
IO. GOTTLIEB TOELLNERVM

IN ACADEMIA VIADRINA  
PHILOSOPHIAE PROFESSOREM PVBLICVM ORDINARIVM  
ET THEOLOGIAE EXTRAORDINARIVM

NVPER LEGITIME COLLATAM.

PVBLICE DECLARAT  
D. IO. AVGVSTVS NOESSELT  
THEOLOGIAE PROFESSOR ORDINARIVS  
ET FACVLTATIS THEOLOGICAE H. T. EXDECANVS.

*Praemissae sunt quaedam observationes de diversitate studiorum, quibus  
Theologum decet ceteris Ecclesiae doctoribus praestare.*

HALAE MAGDEBVRGICAE STANNO HENDELIO.

